

3045

315

Q. D. B. V.

DISSERTATIO

De

A Q V A,

Quam

Permissu Incl. Facult. Philosophicæ

in Alma Lipsiensi

P. P.

M. MARTINUS Seidemann.

&

CASPAR Cramer / Lipsiensis.

Alumni Electorales

Horis Locoqve consuetis.

ad d. 5. Martii. 1653.

LIPSIÆ,
Typis QVIRINI BAUCHII.

Chemia.

306,23

Aqua.

104

~~104~~

Q. D. B. N.

DRESDEN

1753

A. Q. V. A.

1753

Philosophische Fakultät

in Alma Mater

1753

M. MARTINUS SCHMANN

&

CASPAR GARNER

Hof- und Universitäts-Buchdrucker

in Dresden

1753

Typis G. G. G. G.

JOVA JUV A!

Diximus in animum, nonnulla jam
agere de eo Elemento ex quo reli-
qua omnia surrexisse Thales cre-
didit. Quamquam autem de eo, ut
et de ceteris Elementis, magna et intricata sit
difficultas, nos tamen ista à sui consideratione
minimè avocabit, quia non multa de humili-
mis, sed pauca de maximis nosse prodest. Cum
verò absq; DEI Numine nihil sit in homine, igitur
idem, ut sua gratia Favonio sereno nos af-
flare velit, submisse veneramur, ut omnia, quae
dicturi sumus, in sui Nominis gloriam et no-
strum emolumentum cedant. His, ita prae-
missis, nos ad subsequentia accingimus, quorum
sit

THEMA. I.

Aqua est Elementum inferius, frigidis-
simum, humidum moderatè, & grave.

§. 1. Antequam ad hujus Definitionis resolutionem ve-
niamus, singulaque membra ordine consideremus, prius de ipso
definito solliciti erimus, investigaturi ejus

A 2

(1.) Ety-

(1.) *Etymologiam*, ubi nonnulli *Aquam* quasi *equam* dicunt, quia quando ab alio corpore non movetur, *aequalis & plana* apparet: *Alii* verò quasi à *quâ* sint *omnia*, & sine *quâ* esse non possumus, dictam esse volunt, quos Scaliger Exerc. 325. l. ii. reprehendit. *Alii* denique à Græco *ἕρως*, quasi à *Φ' ὕψ*, quod è pluvia nascatur, deducunt. Græcum *ὑδωρ* barbarum & Phrygium esse censebat Plato in Cratylo. Hebraicum אֲוֵר Dualis est numeri, quia duplices habentur *Aquæ*, Inferiores & superiores.

(2.) *Homonymiam*. *Aqua* enim consideratur vel *Improprie*, & sumitur hoc vocabulum in Sacris (α) pro adversitatum fluctibus, ut Psalm. 69. v. 2. Salva me Deus, quoniam intraverunt aquæ animam meam. (β) pro bono magistratu, quia ab hoc, tanquam ex fonte perenni, omnia ad salutem hominum bona scaturiunt, ut Esai. 8, 6. dicit Populus iste abjecit aquas placidas Siloëh, & amplexus est magnum & rapidum flumen, nempe Regem Syrorum. (γ) Pro lacrimis, ut Jer. 9, 1. Quis dabit aquam capiti meo & oculis meis fontem lacrumarum &c. Vel *Proprie* pro eo, cuius in definitione fecimus mentionem. Synonyma vocabula sunt *Unda*, humor circumfluus, juxta Ovidium l. 1. Met. Fab. 1.

Circumfluus humor

Ultima possedit, solidumque coercuit orbem.

§. 2. Definitionem quod concernit, in ea posuimus *Aquæ* Genus *Elementum*, quod ab Aristot. l. 3. de Cælo c. 3. t. 3. definitur, quod sit corpus naturale simplex, in quod cætera corpora dividuntur, quibus inest potentia aut actu, ipsum autem est indivisibile in diversa secundum Speciem. Elementi definitio hæc & ipsum quoque definitum *Aquæ* competit, ita sc. ut *Elementum* de hæc ut & de reliquis corporibus simplicibus, igne aere & Terra tanquam de pluribus specie differentibus, in quid prædicetur, unde ejus Genus esse apparet. Cardanus ergo, qui in eâ, quod aqua non sit *Elementum*, fuit opinione, meritò à Magistro subtilitatum reprehenditur, Exercit. 39.

§. 3. Differentia per quam à reliquis Elementis *Aqua* discernitur, petita est partim à *Loco*, partim à *Qualitatibus*. Quoad istam, dictum est à nobis, quod *Aqua* sit *Elementum* inferius, ut ab igne & aere, quæ superiorem, & terrâ, quæ planè infimum locum

cum

eum occupat, contra distingvatur, ita ut minus grave sit supra magis infra.

§ 4. De Loco, ubi nempe sit Elementum Aquæ, magna inter Philosophos est controversia, ita ut alii statuunt, ipsum Oceanum sive mare esse ipsam aquarum collectionem, unde flumina proveniant, & quò redeant, quemadmodum id ex Genes. 1. comprobatur. Alii, ut Plato in Phædone, ponant quendam in medio Terræ Tartarum & abyssum ingentem, unde omnes aquæ prodirent & etiam refluerent. Alii autem, aquam pluvialem esse Elementum Aquæ, atque hac ratione in pluviis verum ejus locum faciant. Alii locum aquæ naturalem terræ cavernas ponant, concavosque ejus recessus, tam supra terræ superficiem aliquam, quam intimius. Terræ enim dispositio, dicunt, cavernosa est, adeo ut non tantum depressior ejus superficies vel fluvii irrigetur, vel etiam vastis recessibus mari occupetur, sed etiam intimius inter centrum & superficiem tota anfractuosa & inæqualis specus in se vastos & immensa spacia contineat, quæ plena sint vel aquâ, vel Spiritu, vel aëre, vel igne, ut his de clarius dicit Barthol. 1. 2. de Aqua c. 7. Nos tamen, cum prima & ultima opinione convenientes, statuimus, aquam cum terra suum habere situm communem, unumque cum ipsâ constituere globum ita sc. ut pars aquæ terrâ emineat, ut in *Oceano*; pars v. intra terræ cavernas *delitescat, ut in latentibus*. Et ex hoc situ aquæ resultat ejus figura, quæ est *sphærica* sive rotunda, quam etiam stabilimus.

(1.) *Ratione*; Aquæ enim partes homogeneæ sive guttulæ semper *rotundam* exprimunt figuram: Cum aqua pulveri funditur, aut ista ex tecto sive aëre è nubibus cadit, vel in herbis rore vel pluviis madefactis jacet, semper rotunda conspicitur figuræ. Ergo & ipsa erit corpus rotundum. Huic autem nostræ assertioni facile aliquis posset refragari perhibendo, quod aqua non per se, sed per accidens cum pulveri funditur coeat, quatenus videlicet à causâ externâ pulvere, quem ut hostem fugit, impellitur. Sed isti etiam hæc in re calculum nostrum adjicimus, quod pulvis qui videm causa sit impulsiva, non *totalis* tamen sed saltem *partialis*. Datur n. alia causa, nempe principalis & interna, per quam aqua in orbem coire cogitur. Addimus hoc insuper, quod natura sic

duplex, vel universalis, vel Particularis, per istam semper, non vero per hanc rotundam recipit figuram. Accedit etiam globus rotundus ex terrâ & aqua constans, & poculû aquâ repletum, cujus labia & oras aquâ largius infusâ non exæquat solùm, sed & excedit & supereminet.

(2) *Experientiâ*. Omnes enim ii, qui iter & mari & terra ad polos mundi à septentrione in meridiem, vel contrâ conficiunt, polos non habent semper ejusdem elevationis, sed, cum modò quindecim milliaria Germanica sunt progressi, polos habent uno gradu magis vel minus quàm antea elevatum. Ergo etiam ex his colligimus, quod rotunditas detur. Nos vero in præfentiarum rotunditatem non *strictè* accipimus, ita ut humor quilibet per se consideratus sit secundùm omnes partes rotundus, sed *late*, quatenus ista superficies convexa tum maris aliarumque aquarum centrum mundi æqualiter & circulariter ambit; Ideoque alia est ratio habenda rotunditatis Mathematicæ & accuratissimæ, alia Physicæ & quoad sensum, hanc non istam statuimus.

§. 5. Ut jam primam Aquæ *Qualitatem* contemplemur; definitionis ordo monet. Ista verò est *Frigiditas*, & quidem *summa*, ita ut hujus sit *ὑπερῶτον δεινικόν*, quod his rationibus potioribus confirmamus: (1.) Nullum enim Elementum quoad naturam propriam & sensum magis frigefacit quàm hoc. (2.) Igni nullum magis inimicum. (3.) Omnia animalia, quæ in aquis nascuntur sunt terrestribus frigidiora (4.) Terræ non potest competere, summam propter densitatem, aliàs magis frigefaceret, quod tamen falsum.

§. 6. Alii frigiditatem summam *Aeri*, alii *terræ* adscribunt, atque pro ista sententia Bodinus hunc in modum argumentatur:

Cujus vi ac potestate cætera frigescunt, rigent & gelu concrescunt, illud est frigidissimum. Sed aëris vi & c. E.

Minorem probat, quia Aëris vi ac potestate nives, grandines, metalla rigent & concrescunt, maximè tamen aquarum superficies in stagnis & fluminibus, quæ patent Aeri, non autem in fundo. Ad Majorem verò respondemus limitando, quod Aer hoc *per se* non præstet ex nativa proprietate, sed *per accidens*, quia

aër

æer recedente Sole & accedente vel nocte vel hyeme, redditur
frigidior: Cur aqua vero in superficie, & non in fundo, concre-
scat, sunt rationes sequentes:

1. Ne natatilia, quibus nullus est numerus, dispereant: 2. Quia
superficies ab Aquilone ventis spirantibus, magis ad Concretio-
nem aquæ in glaciem cogitur, quàm in fundo: 3. Quia halitus
terpidiusculi frigori externo resistunt, & ita *aquam* attenuant,
quæ attenuatio aquam impedit, ne concreseat.

§. 7. Qui verò Terram esse *πρώτον δεινόν* frigiditatis censent
ita concludunt: Quod omnium maximè distat à Fonte & Principio
Caloris illud est frigidissimum. Sed de Terra verum est prius &
& posterius. Sed negamus Majoris connexionem: Quali-
tates enim Elementares non à Cælo proveniunt, licet ad illarum
conservationem facere posse videantur: Fatemur quidem ipsi,
quod Terra à Sole sit remotissima, minimè autem ipsi propterea
plus frigoris inest, quia *Sol* non *formaliter*, sed *virtualiter* calefa-
cit. Propterea etiam nec altera eorum opinio locum occupare
potest, statuentium, quod propterea aqua non sit frigidissima,
quia facile moveatur & in perpetuo sit motu: Sed sciendum,
quod *motus* det *caliditatem* saltem *per accidens*, non verò *per se*,
aliàs venti frigidissimi; qui jam hyemis tempore cientur pro-
pter istam vehementem motum essent calidissimi, quod tamen
Magistræ Experientiæ reclamât.

§. 8. Humiditas adscribitur nostro Elemento, sed contra-
distincta àb *æere*, ita ut hujus sit *summa*, istius verò *moderata*, pro-
ut ex definitione humidi apparet. Videtur tamen hoc ipsum par-
tim Experientiæ, partim sensibus contrariari. His, cum ta-
ctus aquam esse *æere* humidiores deprehendat: Illi, quæ potius
aquam nostra corpora re ipsa emollire, humectare, fluida red-
dere, lotionem, coctionem, macerationem &c. præbere testa-
tur. Ad prius respondemus, quod sensui quidem appareat, ve-
rùm illud se in suâ natura ita non habeat, quia *Æer* difficulter
propriis, facilè verò alienis coercetur terminis: De Aqua verò
hoc negatur. *Æer* omnia membra transit, & est quasi quoddam
Oleum, quod non in superficie, ut Aqua, hæret, sed statim per-
meat, intimioresq; quasq; partes humectat. Quod in posteriori
sele

se res ita habeat, aperte fatemur: Quod autem aqua magis præstet, magisq; corpora humectet, fit hoc propterea, quia est *incrassiori substantia*: Cum itaq; humiditas aquæ in densiori hæreat materia, & sic sit magis unita, ideo quoq; ad humectandum est efficacior. Conf: Piccol: l. 4. c. 13. de prima rerum Natural: Materiâ. Thom: Campan: in Reali Philosoph: Epilogist: c. 6 art. 1. 2. 3. Mag. l. 3. c. 3.

THEMA II.

Aqua cum jam dictis Qualitatibus habet conjunctam Gravitatem, Crassitiem, Mutabilitatem, Motum & Putredinem, &c.

§. 1. *Gravis* dicitur Aqua, non simpliciter, sed *respectivè*: Nam ista non sursum vergit, sed deorsum, ut in pluviis quotidiè videmus. Cum verò ista ad terram confertur, dicitur *levis*. Est etiam aqua *aquâ* gravior propter partes, quas in se habet terrestres, ut, exempli gratiâ, *aqua marina* est reliquis aquis, quia crassior & corpulentior est ob falsam & terrestrem, quam admixtam habet, materiam: *Fluviatilis* non item; propterea in istâ, quàm in hac, facilius est natatio, graviorum ponderum sustentatio, navesq; onustæ dulcibus facilius immerguntur. Hinc ovum, quod in aquâ dulci mergitur, aquæ falsæ innatat. Quin & dulces, aut insipidæ aquæ, falsis ac nitrosis affluentes olei instar supernatant. Keck: System. Phys: l. 2. c. 15. *Θεωρ*: 1. & 2.

§. 2. Cùm verò tendere *deorsum* sit semper *gravitatis natura*, quæritur rectè, quænam causa sit, quod aqua nonnunquam ascendat, cum tamen sit gravis? Respondemus, quod quidem ascendat, capessatq; superna non *naturaliter*, sed *violenter*, cùm ista ab alio corpore vel suis continuis partibus, in canales sese recipientibus, in iisq; se urgentibus, impellitur, & ita per vim quasi, ut in altum ascendat, cogitur. Videatur Scaliger, Exerc. 40. Deinde etiam non ad replendum vacuum, ut quidem putant, ascendit, quia Teste Philosopho nostro & Scalig. nullus locus est, qui non sit repletus vel aëre, vel alio Elemento.

§. 13. Cras-

§. 3. Crassa est Aqua non Absolutè, sed comparatè, terrâ enim tenuior, crassior verò aere. Si enim terrâ crassior esset quomodo piscibus cederet? De quibus David Psal. 104. 25. & 26. *Ipsum mare tam magnum & dilatatum est spatium: Ibi reptilium & nullus numerus animantium parvorum cum magnis, Ibi naves ambulant & Cetus, quem formasti ludendo in eo.*

§. 4. Mutabilis aqua est; ratione enim Solis vel accessus, vel recessus modò calida est modo frigida, modo tepida: Estq; etiam pro ratione fundi vel impura, vel pura: Quemadmodum enim reliqua Elementa nobis impura sunt relicta, ita & aqua: Si autem datur alicubi purum Elementum aquæ, verisimile est reperiri ubi & maxima est ejus copia, & maximè tum ab aère tum à Terra distat, ut in profundo maris, ubi aquam non ut in summitate esse salisam testatur Philosophus cum aliis, Arist. s. 23. probl. probl. 4.

§. 5. Motum Aquæ quod concernit, isti attribuimus simplicem, qui fit per lineam rectam, ita ut semper ad medium deferatur. Hic autem quia de motu agitur, quaeritur an Fluviorum motus, qui fiunt per mæandros & anfractus, sint naturales? Respondemus, quod sint partim naturales, quia ab Aquæ gravitate ob quam in loca decliviora defluit, proveniunt: partim vero non, quia naturalis aquæ motus, cum sit rectus, debet esse brevissimus, fluviorum tamen in mare decurrentium motus longo itinere & sinuosis conficitur anfractibus. Vide de his F. C. d'. Abra de Raconis. Disp. de Elem. l. 3. Disp. 2.

§. 6. Quemadmodum Aër putredine, sed analogicè sic dicitur pro ratione accidentium afficitur, ita & Aqua: sed vitium hoc potissimum oritur ex Terræ fundo impuro, vel cum planè non movetur, ut dicit Ovidius l. 1. de Ponto.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,

Ut capiant vitium, ni moveantur Aqua.

THEMA III.

Causa efficiens Aquæ est Deus, qui omnia creavit & conservat.

B

Mate

Materia est primum subiectum, ex quo
inexistente Aqua est constituta,

Forma est natura Aquæ interna & af-
fectionum causa principalis.

Finis est ut totum hunc mundum inte-
gret, & mixtorum constitutioni inserviat.

§. 1. Causa hujus universi procreatrix est sapientissimus
Opifex, qui unus solus est Conditor Cœli & Terræ, cujus Excel-
lencia, potentia, majestas & gloria est tanta, ut ne minimam qui-
dem illius partem lingua humana possit exprimere: Cujus res di-
vinae neq; ingenium nostrum perspicere, neq; intellectus noster discer-
nere, neq; memoria comprehendere, neq; lingua explicare potest, ut
ait Anton. de Guevara l. 1. Horol. p. p.

§. 2. Quod materia & Forma cuilibet Elemento, ex qui-
bus est compositum, attribuatur, nemo inficias ibit. Materiam
itaque Aquæ, ex qua in principio est producta, statuimus istud pri-
mum subiectum, quod omnibus mutationibus substantialibus com-
modissime subternitur, & sub diversis Formis eadem omnium materia
indifferentem esse potest, ita tamen, ut materia primum sit subiectum,
postmodum vero Forma introducatur, dein ex Materia & Formâ
corpus conficiatur, quod pro ratione forma appellatur Aquâ, ut docet
Arist. l. 2. de Ortu & Inter. c. 2.

§. 3. Forma consideranda obfertur nobis: sed quanta sit
nostri intellectus imbecillitas in formis indagandis, vix enarrari
potest: Cùm enim nobis pollicemur jam jam rem habere per-
spectam, ibi vix umbram ejus agnovimus. Imò cùm imagina-
mur nobis, nos adyta rerum penitus penetrasse, vix circa corti-
ces versati sumus. Hoc idem nobis evenit, quibus forma hujus E-
lementi utilissimi est nominanda, cujus tamen qualitates vix ac-
curate novimus. Dicimus itaque Formam Elementi nostri esse
Principium substantiale, quod est princeps causa affectionum, quæ in
aquâ sensuum beneficio percipiuntur. Interroganti autem quæ
Forma

Forma sit ejus huic, relinquimus illud ingenii animiqve candidi verbum, NESCIO ut ait. Scal. Exerc. 385. f. 8.

§. 4. Nonnulli verò *Qualitates primas* pro Elementorum formis vendunt & defendunt; quibus & nos ad stipulamur, si nempe unumquodvis Elementum consideretur, quatenus est *subjectum mixtionis*, ut ita qualitates istæ sint formæ Elementorum constitutrices; quia sine his corpora illa non essent Elementa mixtorum: Si verò ista considerantur ut sunt *substantia perfectæ*, negamus quod *Qualitates* eorundem sint formæ: Nam 1. qualitas est sensibilis: substantiæ verò non item. 2. Qualitates sunt sibi contrariæ, substantiæ verò nunquam, ut docet Philof. l. 2. de Gen. & Corr. c. 8. t. 49.

Zabar. de
Qual. Elem.
c. 2. l. 3.

§. 5. Quemadmodum *Finis* gratia omnia fiunt & facta sunt, & nihil sub sole est, quin sui usum quempiam homini præstare possit: Ita etiam nostrum, Elementum alicujus finis gratia à DEO est productum nempe *ut ad hujus mundi integrationem mixtorumq; constitutionem concurrat.*

§. 6. Mollificat prætereà aqua Concreta corpora ad formam mixti facilius introducendam: Naturâ suâ omnia frigiditate temperat: Inservit homini ad potum, navigationes, lotionem, coctionem, macerationem, ad fecunditatem terræ producendam, ad moles & machinas versandas, præsertim ad pisces, quorum domicilium est, sustentandos: Aqua revera est genitrix & nutrix vegetabilium, & terra nil producit, nisi humore irrigetur: Verissima propterea est Pindari sententia

ὕδωρ μὲν ἀρίστον.

B a

TMEMA

Aquam ratione Locorum in supraCœlestem & Elementarem dispescimus:

2. à Testimo-
nio divino.
Psal. 103. 3.
148, 1.
Dan. 3, 60.

§. 1. Aquas enim supraCœlestes esse Fons Israelis, S. Scriptura comprobat & affirmat, ut apparet ex Gen. 1, 6, 7. & alibi, cum dicit: *Fecit Deus expansum & distinxit aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum: Et factum est ita, vocavit q̄, Deus firmamentum, cœlum.* Præterea reperitur in fonte ipso etiam vocabulum planè Emphaticum, quod est *לְרָקִיעַ*, hoc est, *supra firmamentum*, in quâ voce similitudo quædam, à tentorio funibus sustentato, habetur: & hoc *רָקִיעַ* five *expansum* de cœlo astrifero, non autem de aërio intelligitur ut notat Friedl. in Obs. Bibl. Ex quibus S. S. verbis, aquas supra-cœlestes reverà esse, firmisimè colligitur. Quidam verò conantur hæc verba aliter interpretari, intelliguntque per *aquas*, *nubes*, per *cœlum*, totum convexum aerium. Sed hoc est contra divinæ Veritatis regulam, S. Scripturam. Nam *aquas* dividere in duas partes, sicut I. all. dicitur, non est *nubem facere*, sed totum integrale in duas partes ejusdem rationis & speciei dispescere. Locus autem, ubi hæc habentur *Aquæ*, est istud *שָׁמַיִם*, nempe supra firmamentum sive cœlum cœlorum. Potest autem locus iste ei esse *partim naturalis*, quia DEUS, omnis ordinis Autor, aquam ibi collocavit: et propterea quicquid alicui rei, Creator in primâ creatione constituit, illud est ipsi naturale. Sed locum *Aquæ cœlesti* constituit Creator, ut esset supra cœlum E. locus etiam ipsi erit naturalis. *Partim*

tim verò Supernaturalis, quia, si spectes naturam aquæ Elementaris, grave supra leve naturaliter esse non potest, nisi virtute & efficaciâ Verbi divini. Affirmant illud etiam Patres, nempe Theodoretus, Basil. præprimis vero Augustinus, qui ita dicit: Sicut in $\mu\iota\chi\rho\kappa\omicron\sigma\mu\omega$ sive homine supra cor ignea natura locatum est cerebrum frigidissimum: Ita in $\mu\alpha\chi\rho\kappa\omicron\sigma\mu\omega$ sive mundo sunt aquæ posita supra ignes cælestes, Videatur B. Meisn. Phil. Sobr. part. 1. l. 3. c. 4.

*Testim. Humano.
l. 11. de Civ. Dei c. ult.*

THEMA V.

Elementaris Aqua subdividitur 1. ratione Principiorum in Primariam & Secundariam. 2. Ratione adjunctorū ob materiā scil. quam habet admixtam, in falsam, dulcem, gelidam, calidam, minerales, bituminosam sulfuream, aluminosam, limpida, conturbata, congelata, acidam, auratam, ferratam &c. dividitur.

§. I. *Primaria* aqua est *Mare*, quod est collectio aquarum maxima, quæ terram undique lambit & ambit. *Secundaria* est, quæ ex primariâ, nimirum mari habet originem, estq; *Fons, Fluvius, Lacus, Palus &c.* *Fons* est aqua è cavernis terræ scaturiens, quæ cum promanat è scatebrâ, perenni quæ cursu defluit, fit *rivus*: Ex concursu autem plurium rivorum fit *fluvius*, qui vel in alium, vel in mare decurrit & exoneratur. *Fons* verò est vel *perennis*, qui perpetuò, vel *Temporarius*, qui certis anni temporibus

fluid, certisqve exiccatur: Sunt iterum vel *frigidi*, qui propriam aquæ naturam retinent, vel *Calidi*, qui *therme* vocantur, quarum causa est ignis subterraneus, qui cum summo sit præditus calore, aquæ insignem imprimat calorem. *Lacus* vero est aqua stagnans perpetuo durans: *Palus* non item. Veram hanc fontium fluviorumqve originem declarat Ecclesiastes, dicens: *Omnia flumina intrant in mare, & non redundat ad locum, unde exeunt, revertuntur ut iterum fluant.* Ex mari nimirum oriuntur, unde per terræ meatus aqua ad certa loca derivatur ubi exeat & erumpat, qui postmodum in fluviiis iterum in mare defertur.

§. 2. De Maris tamen *falsedine* coronidis loco hoc unicum ob varias variorum de eâ sententias adjicimus, Deumqve *primam* Causam esse statuimus, qui mare falsum tertiâ die creavit, quâ omnes aquas in unum congregavit locum: *Secundam*, Solis Calorem, qui multum juvat maris falsedinem, coqvendo scilicet novas & veteres recoqvendo. Aristotelis sententiam v. 2. Meteor. c. 3.

§. 3. Hæc vitia & exilia de aqua dicere voluimus, ponimusqve nunc nostris pagellis manum extremam: Te autem, CANDIDE LECTOR, ut, si fortè minùs à nobis quædam sint rectè dicta, quemadmodum partim hujus loci amplitudo, partim dignitas postulat, amicè rogamus, ne idcirco studium hoc nostrum planè improbare velis.

COROLLARIA.

*Vitia artificium non sunt adscribenda ipsi arti,
Substantias oculis non cernimus.*

Natu-

Natura, dum operatur, non laborat, sed vires recipit.

F I N I S.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

So führt er seinen Fleiß in einem Kampf-Platz auff/ (renz
Herr Cramer/ und läßt sich vom Wasser erstmalts ho
Es sey nun was es will/was die und jene lehren/
Er geht der Wahrheit nach/und reiner Brunnen lauff/
Wo selbst die frohe Schaar der drey-gedrenten wohnt/
Wo etnes Pferdes Huff die Röhren erst entdeckt;
Er folge weiter nach dem/was noch tieffer steckt/
Was mehr verborgen ist: So wird sein Fleiß belohnt.

M. W.

Ad Ornatiss. Dominum Respondentem.

Q*ualia, frigidioris situm depellere fonte*
Qui sverunt, scribant Carmina, Flaccus ait;
Qualia gustato Musarum fonte, Cramere,
Attentes, nos jam sat tua lymphæ docet:
Scilicet bi fontes animos pascunt, recreantque,
Hæc & Bacchæos despicit unda dolos.
Auguror en! terræ depressa relinqvis ut intra,
Et mavis gelido ferrier Oceano,
Sic exant blatis tepido quæ proxima restant
Tendes hinc oras æthere flammigeras.

fac. Tuus

Henricus Elmenhorst.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

